



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo

Marculfus <Monachus>

Paris, 1635

Formvlae Veteres Incerti Avctoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10644

FORMVLAE
VETERES
INCERTI
AVCTORIS.

N

FORMULAR
VETTER
INGERT
AVTORIS



FORMVLAE VETERES

INCERTI

AUCTORIS.

I. NOTITIA DE COLONO

euindicato.



NOTITIA qualiter, vel
quibus praesentibus, ve-
niens homo aliquis, no-
mine ille, aduocatus san-
cti illius de monasterio illo, & illius
Abatis, in ciuitate illa, viro illo Cor-
mite vel aliis quapluribus personis
ibidem residentibus, interpellabat
hominem aliquem nomine illum,
repetebat ei, dum diceret eò quod
ante hos dies, ipse homo sacramen-

N ij

tum intra ipsam casam Dei, vel ipsius Abatis, habuisset ad hramitum, ad suam ingenuitatem tenendum, in ipso mallo in basilica sancti illius ob hoc iurare debuisset; & ipse homo de ipso sacramento jectius remansit, & ipse homo nullatenus rationes potuit tradere, per quod ingenuus esse deberet, vel ipsum sacramentum iurare potuisset. Et dum hæc causa apud ipsum Comitē, vel ipsos racimburgios diligenter fuit inuēta, vel inquisita, & legibus fuit definita: & ipse homo in præsentī pro colono ad casam sancti illius, vel ipsius Abatis, recognouit vel recredidit; ipse vicarius per iussionem ipsius comitis ipsum hominem per manus, pro colono ipsius, aduocato illius Abatis, visus est reddidisse. Propterea taliter ei fuit iudicatum, de hac causa notitiam bonorum hominū manibus roboratam eum

accipere debere; quod ita & fecit, vt ipsum hominem ipsa casa Dei, vel ipse Aba, seu rectores eorum pro colono habeant euindicatum, ne sit inter ipsos postmodum ex hac re subita causatio. His præsentibus qui subter firmauerunt.

II. *C H A R T A S A C R A -
mentalis.*

Veniens aduocatus sancti illius, de monasterio illo, seu & illius Abatis de prædicto monasterio illo, castro illo, in mallo publico, ante illustrem virum illum Comitem, vel alios quamplures, qui ibidem aderant, interpellabat hominem aliquem, nomine illum, repetebat ei dum diceret, eò quod genitor suus, nomine ille colonus sancti illius de villa illa fuisset, & ipsum colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei redebeat, & exinde ne-

gligens aderat; & ipse in præfenti hoc fortiter denegabat, & taliter dedit in suo responfo quod de patre Franco fuisset generatus, & de matre Franca fuisset natus: vnde tale sacramentum per fuam fistucam visus fuit ad rhamire, & taliter ei fuit iudicatum, vt hac causa apud proximiores parentes suos, octo de parte genitoris fui, & octo de parte genitricis suæ, si forte mortui non sunt, & si forte mortui sunt, apud XII. Fracos, tales qualem se esse dixit, in illo castro, in basilica sancti illius, vbi reliqua sacramenta percurreunt, in L. noctes, in proximo mallo, hoc debeat eiurare.

III. NOTITIA DE SERVO.

NOtitia qualiter, vel quibus præfentibus, veniens ille in causa monasterij sancti illius, ciuitatis illius pontifici, ad vicem vene-

rabilis viri illius Abatis de prædicto monasterio, die illo, illa ciuitate, in mallo publico, ante inlustrem virum illum Comitem, & ante illum Episcopum, vel alios plures magnificos viros, qui ibidem resedebant, hominem aliquem nomine illum ibidē interpellabat dicens, eò quod seruus monasterij sancti illius, de capite suo aderat, & colonus ipsius sancti ille nomine, illum, de Franco homine comparasset, & malo ordine ipse seruitium partibus monasterij sancti illius effugiebat, vel intendebat. Interrogatum fuit ipsi seruo, si ipsa causa vera erat aut non; sed ipse seruus in omnibus hoc fortiter denegauit, & ipse Abas vel suus aduocatus contra prædictum seruū intendebant, & taliter dixerunt, quod testimonia hominum Francorum præsentare poterant, qui hic adstabāt, quod ipse colonus ipsum

comparauerat, & in suum seruitium cum viderant deseruire, & per legem seruus sancti illius esse debet. Et ipsa hora ipse Aba, vel pro se aduocatus, sua testimonia homines septem, his nominibus ille & ille, adrhamiuit vt in crastinum die illo ibidem præsentare deberent, quod ita & fecerunt. Et ipsi homines sic testimoniauerunt, quod per legem seruus sancti illius aderat debitus, & quomodo hoc testimoniauerunt tam super altarium sancti illius, in illa capella, quam in curte fisci, vbi reliqua sacramenta soluta sunt, iurati dixerunt. Denuo ipse seruus fuit interrogatus si ipsam causam recognoscebat, si sic erat veritas: sed ipse seruus in omnibus hanc causam recognouit, & ad seruitium reuersus fuit: & ipse Aba per iudicium ipsarum personarum, per iussionem illius Comitis de manu illius vicarij

exceptum, ibidem pro seruo sancti illius euindicabat, his presentibus.

IV. IVDICIUM EVINDICATUM de colono.

Cum resedissent venerabilis ille Aba, & inlustri vir ille in villa illa in pago illo, vbi ille Comes esse videtur per iussionem domni, & gloriosi illius Regis ad vniuersorum causas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, ibique veniens ille aduocatus monasterij illius, vel illius Abatis, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, dum diceret eo quod legitimum colonitium partibus monasterij sancti illius, vel illius Abatis ad villam illam de parte genitricis suæ redeberet, & negligens & iectius exinde adesset, sed ipse homo de presenti adstabat, & ipsam causam nullatenus potuit de-

negare, & ad ipsum colonitium se
 recognouit, & per manus ipsum
 hominem ipsius Abatis reddidit.
 Proinde taliter ab ipsis missis domi-
 nicis, vel illo Comite, seu & ab ipsis
 rachimburgiis, ipsius aduocato in
 causa sancti illius vel ipsius Abatis,
 pro firmitatis studio fuit iudicatum,
 vt dum ipsa causa taliter fuit inuen-
 ta & legibus definita, vt tale iudi-
 cium euindicatum exinde accipere
 deberet. Quod ita & fecit: vt omni
 tempore ad ipsum colonitium san-
 cti illius, ad villam illam illum ha-
 beat euindicatum, ne sit in postmo-
 dum inter eos ex hac re subita cau-
 satio. Datum in mense illo, in anno
 illo.

V. NOTITIA DE COLONA
euindicata.

Veniens homo aliquis nomi-
 ne ille, aduocatus sancti illius

de monasterio sancti illius, vel illius
Abatis de ipso monasterio, die illo,
in mallo publico, ante inlustrem vi-
rum illū Comitem, vel ante plures
personas, quæ ibidem aderant, ad
vniuersorum causas audiendum,
vel recta iudicia in Dei nomine ter-
minandum, qui subter firmauerūt,
fœminā aliquā, nomine illam, ibi-
dem interpellabat, repetebat ei dū
diceret eo quod auus suus nomine
ille quondam, vel genitor suus ille,
quōdam coloni sancti illius de villa
illa fuissent, & ipsa fœmina colona
esse debebat, & ipsum colonitium
malo ordine de ipsa causa Dei effu-
geret: sic ipsa fœmina in presenti ad-
stitit, & ab ipsis personis interro-
gata fuit, si ipsa causa esset veritas,
aut non. Sed ipsa in omnib. fortiter
denegauit, & taliter dixit quod auus
suis ille quondam, nec genitor suus
ille quondam, coloni sancti illius de

villa illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitiū de capite suo ad ipsam casam Dei, sancti illius, nunquā reddebat, sed de patre & de matre bene ingenua nata vel procreata fuisset. Sic ab ipsis personis taliter ei fuit iudicatum, vt apud xii. homines parentes suos, octo de patre & quatuor de matre, si forte mortui non sint, & si forte mortui sunt, apud xii. homines bene Francos Salicos, in ipso mallo super altario sancti illius, in proximo mallo quod ipse Comes ibidem tenebit, hoc coniurare debeat, quod auus suus ille quondam, nec genitor suus ille quondam coloni sancti illius de monasterio illo, de villa illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei redebeat. Et si hoc in eo placito sicut superius insertum est, coniurare potuerit, de hac causa ducta & secu-

ra resideat; sin autem non potuerit
ad ipsam casam Dei se recognoscere
faciat. Datum ibi.

VI. NOTITIA DE SERVO
quem colonus comparat.

NOtitia qualiter vel quib. præ-
sentibus, veniens magnificus
vir ille in illa ciuitate, in mallo pu-
blico ante inlustrem virum illum
Comitem, & ante Apostolicum vi-
rum illum, vel præsentibus quam-
pluribus viris venerabilib. rachim-
burgis, qui ibidem ad vniuersorum
causas audiendum, vel recta in Dei
nomine iudicia terminadum, dum
residebant vel adstabant, quorum
nomina subtus tenentur adnexa,
hominem aliquem nomine illum
interpellabat, dicēs eò quod seruus
ad colonum suum nomine illum de
capite suo aderat, & venditionem
habebat, quomodo ipse colonus

ipsum comparauerat, & ipsam venditionem ibidem ostendebat ad telegendum. Relecta epistola sic ipsi viri ipsum interrogauerunt, si aliquid contra ipsam chartam dicere volebat, vel si eam agnoscebat, aut non. Sed ipse seruus ipsam chartam veram & legitimam recognouit: sic ipsi viri tale decreuerunt iudicium, vt ipse ille ipsum ad seruitium recipere deberet, quod ita & fecit, & per manus vicarij per iussionem inlustri viri illius Comitis, & per iudicium ad ipsas personas, præsentialiter recepit: his præsentibus: Datum ibi, sub die illo.

VII. NOTITIA DE TERRA
euindicata.

NOtitia qualiter vel quib. præsentibus, veniens venerabilis vir ille Abas de monasterio illo, die illo in illo loco ante inlustres viros

magnificos illos & illos missos dō-
ni & gloriosissimi illius Regis, vel
alios quamplureis qui subter firma-
uerunt, quorum nomina subtrus te-
nentur inserta, hominem aliquem
nomine illum interpellabat, repete-
bat ei, eò quod illam terram quam
apud hominem illum concambia-
uit, quæ est in pago illo, in grafia il-
la, in loco qui vocatur ille, post se
malo ordine retineret iniustè, & ip-
se homo in præsentem adstabat, &
hanc causam nullatenus potuit de-
negare, nec tradere rationes, per
quas ipsam terram habere debeat.
Sic ipsi homini fuit iudicatum, vt
ipsam terram ante ipsos missos do-
minicos, secundum suam legem
ipsi venerabili viro illi Abati, redde-
re vel reuestire deberet; quod ita in
præsentem & fecit. Propterea iube-
mus vt dum hanc causam sic actam
vel perpetratam esse cognouimus,

vt ipsam terram ipse Abas habeat
 euindicatam , atque elidiata sit
 postmodum ex hac re , omnique
 tempore subita causatio. Datum
 ibi sub die illo , anno illo , regnante
 domno nostro illo gloriosissimo
 Rege.

VIII. *INGENVITAS.*

Quoniam sanctissimi HLudo-
 uici Imperatoris pietas , quæ
 habet in Deum , ea quærere & inda-
 gare non cessat , quæ Domini potis-
 simum congruant voluntati. Qui-
 bus quoque religionis honor &
 deuotio , magis ac magis de die in
 dies crescat , atque proficiat : & ea
 quæ ad diuinum cultum & officium
 sanctum pertinent , decoris & ho-
 nestatis amplius in dieb. eius quam
 prius habuerunt accipiant , & cun-
 ctis in futurum temporibus quæ se-
 cundum Deum ab eodem inuenta
 procu-

procuratâque sunt proficiant, & perenni stabilitate à successoribus eius, & fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ inuiolabiliter in perpetuum conseruentur, memor semper eius quod dicitur, *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & iustitia firmatur thronus eius*, adeò vt verissimè & propemodum specialiter de eo dictum videbatur, *Beata terra cuius Rex sapiens est*. Cui etiam illud nõ inconuenienter potest aptari, quod Dominus de Dauid perhibuit, dicens, *Inueni Dauid secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas*. Huiusmodi itaque studiis Rex iste sapiens & beatus, indefinenter intentus, & Domini semper adhærens voluntati, cupiens, vt præmissum est, diuinum officium modis omnibus honestare, & eos qui Domino Deo sacrificium super altare sanctum offerre debent, & corpus &

O

sanguinem dominicum precum
mediatione consecrare, honori ha-
bere, & ampliore gratia circumda-
re: Statuit vt Episcopi & Abates, &
quicumque Ecclesiasticis possessio-
nibus iure prælati sunt, si aliquos ex
familia ad presbyteratus ordinem
promouere velint, prius eos, per-
missu ipsius, libertate donent; & sic
tandem ad sacerdotij gradum di-
gnissimè subuehant.

Igitur ego ille minimus seruo-
rum Dei famulus Ecclesiæ Senoni-
cæ Archiepiscopus, tanta serenissi-
mi HLudouici Augusti auctorita-
te, quæ Senonis in arcibo Ecclesiæ
Episcopij seruatur, fultus, per hunc
libellum manumissionis, te fratrem
nostrum, quem seruilis cōditio ha-
ctenus addictum tenuit, inter huius
Ecclesiæ familiam, quia fratrum te-
stimonio, inter quos enutritus es,
dignus ad sacerdotalem honorem

ſuſcipiendum prædicaris, cenſeo te
atque ſtatuo, ante ſacri altaris cor-
nu, in conſpectu ſacerdotum & cle-
ri & populi adſtantis, à præſenti die
& deinceps, ab omni iugo ſeruitu-
tis humanæ abſolutum fore, ciuem-
que Romanum appellari. Ita vt nul-
li hominum pro ſeruil conditione,
quicquam debeas ſeruitij nec obſe-
quij, nec etiam libertinitatis munus
impendere, non mihi, nec ſucceſſo-
ribus, aut actoribus, quicumq; præ-
fuerint huic Eccleſiæ, non iudicia-
ria præditis poteſtate; ſed ſoli Do-
mino licentiam & facultatem ha-
beas liberè famulandi, dieſq; tuos,
vitamque ipſi dicandi: vt in ipſius
Eccleſia proficias ad honorem, &
profectum plebis, pretioſo ſangui-
ne Chriſti redemptæ; quatenus hæc
pro modulo tuo, monitis inſtruas,
orationibus iuues, exemplis infor-
mes, corporis & ſanguinis domini.

ci consecratione, propter cuius honorem hanc consecutus es dignitatem, reficias, vt sicut ab humana seruitute liberatus per hanc manumissionem esse cognosceris, ita per diuinam doceas diabolicæ dominationis iugum euadere plebem, quæ tibi à proprio pontifice fuerit commissa. His quoque subnectere placuit, canonicis admoniti constitutionibus, vt si qua deinceps prædia, vel mancipia tui nominis titulo comparaueris, hoc obseruari studeas, quod in eisdem decretum esse cognoscitur. Et si forte, quod absit, à tuo proposito exorbitaueris, presbyteratus gradum canonico iudicio amittere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria subscripsi, & qui subscriberent rogavi.

IX. MANDATVM.

LEgibus institutum est, & consuetudine per tempora confirmatum, vt quicumque aduocatum instruere velit, mādato legaliter dato, atq; solenniter confirmato, eum instruere debeat, vt omnes causas quas adgredi vel repellere debet, prosequi & defendere inoffensè valeat. Igitur ego ille sanctæ illius Ecclesiæ vocatus Episcopus, iniungo, mādo, & per has litteras delego tibi illi fidei meo, de rebus sancti illius, sitis in pago illo, in locis nuncupatis sic, cū adiacentiis, vel aspicientibus ad eas, locis aliis, per omne ius inuestigare, inquirere, prosequi, & admallare debeas per mallos, vicos, castella, oppida, & ciuitates, nec nō etiam si necessitas incubuerit, in palatio, ante vicarios, Comites, missos dominicos, Comites palatij,

O iij

siue ante omnes iudices quibus hoc officium delegatum est, vt causationes & lites definire & terminare iustè & rationabiliter debeant, & quicquid legibus cum iustitia, vnde profecutus fueris & definieris, scito apud meratum & acceptum, atq; inconuulsum mansurū. Quod mandatum in te conlatum, vt firmum fixumque permaneat, manu propria subterfirmaui, & qui adfirmare deberent rogauī.

X. *TRACTVRIA PRO ITINERE PERAGENDO.*

DOminis sanctis & Apostolicis sedibus, allocatis, Episcopis, Abatibus, vel Abatissis, & omnibus in Christo patribus: Ducibus, Comitibus, Vigariis, Centenariis, & Decanis, vel omnibus in Christo credentibus, & Deum timentibus, Ego in Dei nomine ille, ac si indi-

gnus peccator, vltimus omnium
seruorum Dei seruus, Episcopus vi-
delicet, siue Abas de ciuitate illa, vel
de monasterio illo, vbi pretiosus il-
le martyr seu confessor Christi hu-
matus in corpore requiescit, Salu-
tem vobis perennem in Domino
destinare curauimus. Cognoscatis
siquidem domni & sancti patres,
seu & sorores in Christo, quia inno-
tescimus vobis eò quod peregrinus
iste, nomen ille, ex genere illo, ad
nos venit, & nobis innotuit, atque
consilium quæsiuit, de hoc videli-
cet facto quod instigante aduersa-
rio, peccatis facientibus, proprium
filium suum, siue nepotem nomine
illum interfecit: Et nos pro hac cau-
sa secundum consuetudinem, vel
canonicam institutionem diudica-
uimus, vt in lege peregrinorum ipse
præfatus vir annis tot in peregrina-
tione *permanere* deberet. Propterea

cognoscatis, sanctissimi patres, has litteras, ut quando ad sanctitatem vestram venerint, melius ei credatis: Et quod nullatenus pro alia causa ambulare dinoscitur, nisi sicut superius diximus, pro peccatis suis redimendis, ut vos eum nullo modo teneatis, nisi tantum quando ad vos venerit, mansionem ei & focum, panem & aquam, largire dignemini. Et postea sine detentione liceat ei ad loca sanctorum festinare. Sic exinde agite pro amore Dei & reverentia sancti Petri, sanctissimi patres, ut vos pius Dominus in illa beata seu immortalis vita remunerare dignetur, quia in ipso peregrino Christum pavistis seu suscepistis, considerantes videlicet quod ipse Dominus dixit, *hospes fui, & suscepistis me, Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quid plura ad sapientes: sufficit semel loqui. Commem-

damus nos obnixè in vestris sacris precibus, vt nobis commendari dignemini in Christo feliciter, sanctissimi patres, vt ad æternam angelorum digni habeamini mansiorem perpetuam.

XI. *CESSIO AD ECCLESIAM
à nouo edificatam.*

REgnante Domino Iesu Christo in perpetuum, ego ille Episcopus. Omnibus non habetur incognitum, qualiter ego auxiliante Domino, in pago, in villa cuius vocabulum est, ibi basilicam sancti.... atque sancti Stephani, vel in honore cæterorum sanctorum, quorum ibidem reliquæ quiescunt construxi, atque KL. Iunij dedicari curavi, consentientibus etiam cõfratribus, tam canonicis, quàm & monachis, vel cæteris hominibus, qui præsentibus fuerunt, vt villæ quarum voca-

bula sunt, Cadiliaco, Tanculfouilla, Fagido & Barbitione villare, vt ibidem aspicere deberent, ad missas venire, & ad baptismum, vel prædicationem, & vt decimas suas ad memoratam basilicam dare deberent. Propterea pro firmitatis studio hæc consensionem scribere rogauimus, vt temporibus nostris atque successorum nostrorum hæc nostra consensio firma & stabilis valeat permanere: & sciant omnes tam præsentés quam & absentes seu successores nostri, quia dedimus in memoratam illam Cadiliacum duos manfos ad ipsa luminaria prouidenda, vel vnde presbyter, qui ibidem officio fungi videtur, viuere debeat: & addimus ad hoc insuper de terra arabili & de vinea aripennem vnum, & dimidium: vt æuo tempore in eleimosynam nostram, seu successorum nostrorum ita valeat

perdurare. Actum fuit hoc sub die memorato KL. Iunij, in anno VIII. Christo propitio Imperij Domni Karoli serenissimi Augusti, & anno XLIII. regni eius in Frãcia, atq; xxxv. in Italia, Indictione prima in Dei nomine feliciter, Amen. His præsentibus qui adfuerunt.

XII. *LITTERAE COM-
mendatitiae.*

SAncto & Deo amabili Magno-
ni dono Dei Archiepiscopo ex
Senonica vrbe. Ego enim in Dei
nomine Ebroinus dono Dei Archi-
episcopus ex Biturige vrbe, in Do-
mino Iesu salutes optamus vobis in
perpetuum. De cætero notum faci-
mus sanctitati vestræ, quia iste præ-
sens presbyter, nomen Dodobertus
parrochianus noster, in nostra dice-
cesi natus, & sacras litteras edoctus
sit, cumque ad ordinem sacrum

promoueri iussimus. Postea vero petiit nobis licentiam, vt in vestra parochia apud hominem aliquem, nomen Hercambaldum manere voluisset. Nos vero petitionē illius non denegauimus, nisi licentiam illi dedissemus, quia scimus quod debene liberis ortus sit. Vnde has litteras cōmendatitias more Ecclesiastico factas ad sanctitatem vestram misimus, vt scire valeat Deo digna charitas vestra, eū nec fuga lapsū, nec sua malitia à nobis eiectum, sed nostra voluntate destinatum. Et vt certius credatis Græca elemēta quæ octogenarium quadringētesimum & primum numerum exprimūt imprimitus adneximus. Π. Petri quoque nominis primam litterā sumptam in medio adscribere rogauimus. Nihilominus etiam paruitatis nostræ nominis primam litteram HE. magnitudinis vestræ secūdam

litteram A. istius fratris nominis tertiam litteram Δ. ciuitatis nostræ quartam Υ. & indictione quarta adiunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id est Φ. & Θ. & insequenter impressione sigilli nostri subter confirmauimus, & manu propria eā roborauimus, & clericis nostris roborari iussimus. Actum in anno x. Imperij domni nostri Caroli, & anno XLIII. regni eius in Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine Π & Υ & A. Reuerentissimo sancto & Deo amabili illi Archiepiscopo Senonicæ vr̄bis. Ego enim in Dei nomine ille Cenomanicæ ciuitatis Episcopus in Domino Iesu Christo opto vobis salutem in perpetuum. De cætero notum facimus sanctitati vestræ, quia istum præsentem presbyterum &c. *quæ ad verbum eadem sunt cum superiori, ideoque hic repetita nolimus.*

In Dei nomine sanctissimo ac reuerentissimo fratri illi Episcopo, ille illius vrbis Episcopus, in Domino sempiternam salutem. Cognoscat fraternitas, seu charitas vestra, quia iste præsens presbyter nomine ille, in parochia, & in Ecclesia nostra sacris litteris educatus fuit, & ab infantia fuit apud nos seu prædecessores nostros bonum habens testimonium bonamque continentiam, & innocentem vitam deducens. Unde placuit illi modò, vt ad aliam Ecclesiam se conuerteret, volens sibi quærere seniore, qui se de rebus temporalibus adiuuet, & cui ille secundum ministerium, quod sibi iniunctum est, obsequium præbeat. Unde vestram fraternitatem compertam facimus, vt cuicumque placuerit eum suscipere, absque vlla ambiguitate hoc faciat: Sciens illum & boni esse testimonij, & à no-

bis sibi ab Ecclesia, quæ nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse: Et ut hæ litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliusque eis fides adhibeatur, manu nostra eas subter firmavimus.

XIII. *INGENUITAS.*

DVm omnipotens Deus nos præcepit in hoc sæculo sanū corpus habere: Oportet nobis pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debere, ut aliquantulum de peccatis nostris minuere mereamur. Itaque ego ille in Dei nomine pro animæ nostræ remedio, vel pro meis peccatis minuendis, ut in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur, seruum iuris mei nomine illum, relaxavi ingenuum. Ea vero ratione, ut à die præsentis sis bene ingenuus, tanquam si ab ingenuis

parentibus fuisse procreatus, vel
natus. Peculiare vero si quid habes,
aut in antea Christo pro pitio labo-
rare potueris, cessum habeas. Et
nulli heredum, ac pro heredum meo-
rum nullum impendas seruitium,
nisi soli Deo, cui omnia subiecta
sunt. Testamentum etiam faciendi,
defensionem, vel mundeburden
Ecclesiarum, aut bonorum homi-
num, vbi cumque eligere volueris
licentiam habeas ad conquiren-
dum. Si quis vero, quod nec fieri cre-
dimus, si ego ipse, aut vllus de here-
dibus meis, vel qualibet opposita
persona, quæ contra hanc ingenui-
tatem, quam ego plenissima volun-
tate mea, pro amore Domini nostri
Iesu Christi, & pro meis peccatis
fieri, & adfirmare rogavi, venire co-
nauerit, inferat tibi, vna cum socio
fisco auri vncias tantas, & præsens
ingenuitas omni tempore firma
perma-

permaneat, stipulatione subnixa.
Actum illo.

XIV. VENDITIO.

DOmino inlustri illi, ille. Ratio & consuetudo exposcit, ut inter emptorem & venditorem scriptura confirmet. Ita ut nec distrahendi, seu vlla repetitio, nec comparandi quælibet videatur esse formido. Idcirco nulli cogentis imperio, nec à iudiciaria potestate coactus, sed mea propria & spontanea voluntate, & arbitrio, accepto vero pretio, constat me vendidisse, vel tradidisse & ita vendidi, vel de præsentate tradidi, hoc est res proprietatis meæ in pago illo, quæ dicuntur illæ. Id est tam mansis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum re inexacta. Et accepi à te pretium pro hoc, quod mihi bene cõplacuit, hoc est tam in argèto quam

P

in fabricato valente solidos tantos.
 Et superscriptas res per hanc vendi-
 tionem publicè tibi à die præsentè
 tradidi ad possidendum, vt quic-
 quid exinde à die præsentè facere
 volueris, liberam & firmissimam in
 omnibus habeas potestatem faciè-
 di. Si quis verò, quod futurum esse
 non credo, si ego ipse, aut vllus de
 meis heredibus, vel quælibet vlla
 opposita persona, quæ cõtra vendi-
 tionem istam venire conauerit, & à
 me vel heredibus meis non fuerit
 defensatum, tunc inferat tibi, vna
 cum socio fisco, duplum tantum,
 quantum à te accepi, & quantum
 ipsæ res immelioratæ valuerint; &
 præsens venditio omni tempore
 firma permaneat.

XV. CAVTIO.

DOmino fratri illi, ille. Ad peti-
 tionem meam mihi non de-

negasti, nisi vt in summa necessitate
mea argenti, vel tuum valen-
tem solidos tantos in manu mea ad
præstitum beneficium mihi præsti-
tisti. Et ego pro hoc talem cautio-
nem in te fieri, & adfirmare rogavi,
vt vsque ad annos tantos, in quaq;
hebdomada diebus tantis, opera
tua, qualia mihi iniunxeris, & ratio
præstat, facere debeam. Quod si mi-
nimè fecero, aut negligens, aut tar-
dus exinde apparuero, aut ante ip-
sum placitum me immutare præ-
sumpsero: tunc spondeo me per hu-
ius vinculum cautionis, vbi & vbi
me inuenire potueris, sine vlla iudi-
cis interpellatione pro dupli satisfac-
tione me retineri debitorem. Sic
quomodo ipsi anni transacti fue-
rint, debito tuo tibi reddito, cau-
tionem meam per manus recipiam,
stipulatione, &c.

P ij

XVI. OBNOXIATIO.

Domino fratri illi, ille. Omnibus nō habetur incognitum, qualiter grauis necessitas & infirmitas pessima me oppresserunt, & minimè habeo vnde viuere, vel vestiri debeam. Propterea ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi vt in summa necessitate mea argētum vel acto tuum valens solidos tot, in manu mea mihi dedisti, & ego minimè habeo vnde ipsos solidos tuos tibi reddere debeam. Propterea obnoxiationem de capite ingenuitatis meæ in te fieri, & adfirmare rogavi: vt quicquid de mancipio tuo, originali vestro, facitis, tam vendendi, commutandi & disciplinam imponendi, ita & de me ab hodierna die liberam, & firmissimam in omnibus potestatem faciendi habeas. Si quis verò, quod nec fieri

credo, si ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ contra obnoxiationem istam venire conauerit, inferat tibi, vna cum socio fisco auri vncias tantas, & præsens obnoxio firma permaneat, cum stipulatione subnixâ. Actum illo.

XVII. COMMVTATIO
de terris.

INter quos charitas inlibata permanferit, pars pari suo oportuna & congrua beneficia non denegat. Ideo auxiliâte Domino nostro placuit, atque conuenit inter illum, & illum, de commutandis terris eorum, vt pro communi oportunitate inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit ille de parte sua ad partem ipsius illius, terram proprietatis suæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, habet in longo

..... tantos, & in lato tantos, subiungit de vno latere terræ lui, de vno fronte terræ illius, ex alio vero fronte terræ illius, infra ipsam terminationem, & mensuram ad integrum. Econtra ad vicem dedit ille de parte sua ad partem ipsius lui terram proprietatis suæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, habet in longo tantos, & in lato tantos, subiungit de vno latere terræ lui, de alio latere terræ illius, infra ipsam terminationem, & mensuram ad integrum. Ita vt ab hodierna die vnusquisque contra parem suum quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde à die præsentē facere voluerit, liberam & firmissimam in omnib. habeat potestatem faciēdi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quælibet vlla oposita persona quæ con-

era hanc commutationem pars cōtra parem suum venire conauerit, inferat pars pari suo, ista tota serua- ta, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & presentes commutationes duæ vno tenore conscriptæ, omni tempore firmæ & inuiolatae permaneant.

XVIII. CHARTA AGNA-
tionis.

FOemineꝝ illi, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam seruus iuris mei, nomine ille, ad coniugium sociavit vxorem: vnde te vel procreationem tuam in seruitio inclinare potueram. Sed mihi præparauit voluntas plenissima, vt talem epistolam donationis in te fieri & adfirmare rogarem: vt si aliqua procreatio filiorum, aut filiarum ex te nata, vel procreata fuerit, sub integra in-

genuitate, cum omni peculiari eorum valeant Christo propitio laborare, cessum habeat, & nulli heredū ac proheredum meorum nullū impēdat seruitium, nec hominum, vel patronatus obsequium, nisi soli Deo cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem verò vel mundeburdem, Ecclesiarum aut bonorum hominum vbicumque eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de heredibus meis vel quælibet vlla opposita persona, quæ contra hanc epistolam agnationis venire conauerit, inferat ei cui litem intulerit, ista tota seruata, vna cum socio fisco, auti vncias tantas, & præsens agnatio omni tempore firma permaneat.

XIX. *TRADITORIA DE*
terra.

Veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines, qui subterfirmaverunt, terram illam, id est tam mansis, &c. totum & ad integrum, quam ante hos dies homo aliquis nomine ille, per venditionis titulum, accepto vero pretio visus fuit vendidisse: sed ante ipsos bonos homines, ad integrum, ut quicquid prædicta venditione ei vendidit, per manus, partibus ipsius sui, vel herbam, vel terram visus fuit tradidisse, & per suam fistucam contra ipsum illum exinde exitum fecisse, ut quicquid ipse ille de ipsa terra à die præsentis facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi.

XX. *TRADITORIA DE
Manſo vel terra.*

NOtitia, qualiter & quib. præſentibus, veniens homo aliquis, nomine ille miſſus inluſtris viri illius, ſuper fluuium illum, in loco qui dicitur ille, ad illum manſum, vel terram, quam ille homo ante hoſ dies, ad caſam ſancti illius pagensis, per chartam ceſſionis partibus ipſius illius, per illud oſtium de ipſa caſa, per herbam vel terram, ipſum manſum, vel quicquid ad ipſum manſum aſpicit, ſicut in ipſa ceſſione eſt inferum, ad partem ipſius Eccleſiæ viſus fuit tradidiſſe, vel conſignaſſe. His præſentibus.

XXI. *NOTITIA DE SERVO.*

NOtitia qualiter & quib. præſentibus, veniens homo aliquis nomine ille, in pago illo, in lo-

co qui dicitur ille, vel in quocumque loco ante bonos homines, qui subterfirmauerunt, dato suo pretio ad hominem negotiantem, solidos tantos, seruum suum nomine illum visus est comparasse. Et ipse negotians ipsum seruum superius nominatum, per manus partibus ipsius sui visus est tradidisse, nec fraude, sed in publico: Vt quicquid exinde à die præsentis facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi.

XXII. NOTITIA DE
iactiuis.

NOtitia qualiter & quibus præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante virum illum Comitem, vel reliquos quamplures bonos homines qui subterfirmauerunt, repete-

bat ei, dum diceret, eò quod hominem aliquem nomine illum, ante ipsum Comitem adrhamicum habuisset: ad placitum venit, ipse ille placitum suum custodiebat, & nec ipse ille ad id placitum venit, nec missum in vicem suam direxit, qui vllam soniam nuntiaret: & placitum suum neglexit, & jactius exinde remansit. His præsentibus.

XXIII. *SECVRITAS.*

NON minima, sed maxima vertitur discordia inter illos & illos. Venientes ante illum & illum, repetiuit ipse ille aduersus ipsum lui, eò quod genitorem suum, aut germanum suum illum malo ordine interfecisset. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi lui, si hæc causa acta vel perpetrata fuisset aut non, sed ipse in præsentem dicere deberet. Sed ipse ille minimè hæc causam potuit

denegare. Sic ab ipsis viris fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, soluere deberet: quod ita in præfenti & fecit. Et ego hanc fecuritatē in ipfo illo fieri & adfirmare rogaui, vt nullo vnquam tempore, de iam dicta morte, nec de ipsa leude, nec ego ipse, nec vllus de heredibus meis, nec quislibet vllas calumnias, nec repetitiones agere, nec repetere non debeamus. Quod quando attentauerimus, nullum obtineat effectum, & insuper inferamus tibi, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præfens fecuritas omni tempore firma permaneat.

XXIV. CHARTA DENARIA
lis ante Regem.

ILle Rex Francorum vir inluster.
Et quia veniens ille ante nos vel procerum nostrorū præfentiā, &c.
is dē planè verbis cum Marculfi c. 22. li. 1.

XXV. MANDATVM.

DOmino magnifico fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter me senectus adgrauat, & infirmitas domat, & causas meas minimè valeo prosequere, vel admallare: Ideo precor & suplico charitati tuæ, vt in vicem meam omnes causas meas, tam in pago, quam & in palatio, vel in quibuscumq; pagis vel territoriis, vbi cumque mihi oportet, apud quemlibet hominem, tam ad admallandum, quam ad responsum dandum prosequere facias. Et quicquid exinde egeris, gesserisue, apud me in omnibus, & ex omnibus ratum, & aptum, atque transactum, in omnibus definitum esse cognoscas. Quia plus amo te quam me, plus te quam heredes meos. Et vt hoc mandatum post te firmitus retineas, & taliter

obtineat firmitatem, quasi gestibus
fuiſſet obligatum, manu propria
ſubter decreui adfirmare, & qui
ſubſcriberent in præſenti rogavi.

XXVI. C E S S I O A D
Eccleſiam.

DOminæ, ſanctæ ac reueren-
tiſſimæ Eccleſiæ ſancti illius,
quæ eſt conſtructa in pago illo, in
loco qui dicitur ille, Ego in Dei no-
mine ille, pro meis peccatis minuē-
dis, vt in futurum Dominus veniam
mihi præſtare dignetur cedo ad lu-
men, vel ſacrificium ad ipſam ca-
ſam Dei, vel ipſam domum Dei, ceſ-
ſumque in perpetuum eſſe volo, &
de iure meo in ius, & dominationē
ipſius Eccleſiæ tranſcribo, atque
tranſfundo, hoc eſt res proprietatis
meæ in pago illo, in loco qui dicitur
ille, id eſt tam manſis, domibus, ædi-
ficiis totum & ad integrum re in ex-

quisita. Ita vt ab hodierna die, ipsa
casa Dei ad altare Domini profe-
rendo, vel ad ipsam domum Dei
condirigendo, ipsas res habere de-
beat. Etsi m. hi placuit inferendum,
vt nullus pontifex, aut quislibet re-
ctor, si de ipsa casa Dei, de ipso lumi-
ne vel sacrificio ipsas res abstrahere
conauerit, aut in beneficium dare
præsumpserit, tunc ipsæ res ad me,
vel heredes meos perueniāt. Si quis
vero, quod nec fieri credo, si ego ip-
se, aut vllus de heredibus meis, vel
quælibet opposita persona, quæ cō-
tra hanc cessionem istam, quam ego
plenissima voluntate mea pro amo-
re Domini nostri Iesu Christi, fieri
& adfirmare rogavi, venire conaue-
rit, inferat tibi, ista tota seruata, vna
cum socio fisco, auri vncias tantas
& præsens cessio omni tempore fir-
ma permaneat.

XXVII. PRE-

XXVII. PRECARIA.

DOminæ sanctæ ac reueren-
tissimæ Ecclesiæ pagenfi, his
nominibus, quæ est constructa in
pago illo, in loco qui dicitur ille,
ego in Dei nomine ille. Omnibus
non habetur incognitum, qualiter
res proprietatis meæ in pago illo,
quib. vocabula sunt illa & illa, in iâ
dictis locis, id est tam mansis, &c.
omnia & ex omnibus per meam
cessionem, ad lumen vel sacrificium
ad ipsam casam Dei, à die præsentè
delegavi, postea ad petitionem meâ
mihi non denegasti, nisi vt ipsas res
quamdiu adiuuo, mihi ad vsandum
vel condirigendum præstare debeat-
tis. Quod taliter fecistis; sic taliter
vt tempore vitæ meæ ipsas res habe-
re & vsare vel condirigere debeam.
Et post meum quoque discessum,
cum omni re immeliorata, agentes

Q

ipſius Eccleſiæ, abſque expectata traditione in eorum reuocent dominationem, vel poteſtatem. Propterea talem precariam ad ipſam caſam Dei fieri, & adfirmare rogaui, vt ipſas res nec vendere, nec donare, nec commutare, nec vllis modis, vllisq; ingeniis de ipſa caſa Dei abſtrahere, nec minuere pôtificium non habeam: nec mea poſſeſſio vllum præiudicium vobis, nec ad ipſam caſam Dei agere, nec generare non debeat, nec ego ipſe, nec vllus de heredibus meis, nec quælibet oppoſita perſona. Quod ſi attemptauerimus, nullum obtineat effectum, & inſuper inferamus partibus ipſius Eccleſiæ, vel ſuis rectoribus, vna cum ſocio fiſco auri vncias tantas, & vt aliæ precariæ, ac ſi per quinquennium fuerit renouata iſta, per ſe obtineat firmitatem.

XXVIII. *PRESTARIA.*

IN Christo filio illi, ille dono Dei rector & custos Ecclesiæ illius, quæ est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter tu res proprietatis tuæ, tam infra ciuitatem, quàm & foras in ipso pago, in loco cuius vocabulum est ille, & ille, in iam dictis locis omnem rem tuam per tuam cessionem ad ipsam casam vel domum Dei, à die præfente delegasti. Postea ad petitionem tuam tibi non denegauimus, nisi vt ipsas res ad præstitum beneficiũ tibi præstare deberemus. Quod ita & fecimus: sic taliter, vt tempore vitæ tuæ ipsas res per nostrum beneficium habere, vel condirigere, siue vsare debeas: & annis singulis in festiuitate sancti illius, censum ad lumen vel sacrificium solidos tan-

Q ij

tos per temetipsum soluere facias: & nec nos ipsi, nec vllus de successoribus nostris, nec quislibet de parte nostra, ipsas res tempore vitę tuę, tibi abstrahere, nec minuere non debeamus. Et vt has litteras firmiter post te retineas, manu propria subter decreuimus adfirmare.

XXIX. NOTITIA DE
homine forbatudo.

NOtitia qualiter vel quib. præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante ipsum Comitem illū, vel alios bonos homines qui subterfirmauerunt posita manu sua super sacrum altarium sancti illius sic iuratus dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimū, & virtutes sancti illius, quod homo aliquis nomine ille, ita factus, cū armis suis su-

per me venit, & colpus super me
mifit, & fic mihi Dominus dire-
ctum dedit, ego ipfum de armis
meis percuffi, & tales colpus ei dedi
pro quib. ipfe mortuus eft, & quod
feci super me fecit, & ego hodie ip-
fum facio infra damnum & forba-
tudū infra noctes XLII. ficut lex eft
& noftra cōfuetudo, apud tres aloa-
rius, & XII. conlaudantes iurauerūt,
& linguas eorum legibus direxe-
runt.

XXX. INDICVLVS REGALIS.

ILle Rex Francorum vir inluster,
magnifico fratri illi Comiti. Co-
gnofcas quod ifte præfens ille miffa
petitione fuggellit, eo quod homo
aliquis nomine ille, res fuas in ve-
ftro ministerio ad sanctum illum
delegaffet, & dicit quod ille, vel alij
homines ipfas res contendunt ma-
lo ordine. Propterea omnino te ro-

Q iij

gamus, vt si veritas est, integram iustitiam, sine vlla moratione ei facias exinde. Et si ante te minimè definitum fuerit, tunc ipsos homines, qui hoc contendunt malo ordine, per fideiussores positos, super noctes tantas, postquam has litteras recipis, ante nos facias aduenire. Taliter ages, si gratiam nostram velis habere.

XXXI. ITEM ALIUS
indiculus.

Ille Rex Francorum vir inluster illi Comiti, seu iunioribus atque successoribus vestris, seu missis nostris discurrentibus. Cognoscatis qualiter in nostra eleemosyna tali isti præsentis, dum & ipse senex esse videtur, taliter ei concessimus, vt de omni hoste vel omni banno, seu & arribanno sit conseruatus, vt neque vos, neque iuniores atque succes-

fores vestri ipsum pro hoc inquietare, nec dismanare non præsumatis, nec facere dimittatis. Sed liceat ei cum Dei & nostra gratia, quieto ordine ad propria viuere, vel residere. Et vt certius credatis manu nostra subterfirmauimus, & de anulo nostro sigillauimus.

XXXII. NOTITIA DE
colonitio.

NOtitia qualiter vel quib. præsentibus, veniens homo aliquis nomine illo, in pago illo, in mallo publico ante virum inlustre Comitem, vel reliquos quamplures bonos homines qui subterfirmauerunt, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei eò quod genitor suus, aut genitrix sua illa coloni sui fuissent, & ipse ille suus colonus esse debebat, & malo ordine de ipso colonatico se abstra-

Q iij

hebat, & negligens erat. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi, si ipse ille colonus ipsius lui esse debebat aut non, & in præfenti ei dicere deberet. Et ipse ille nullatenus potuit dicere nec adponere, nec vllam rationem tradere, per quam ipse de ipso colonatico se abstrahere potuisset: & in præfenti pro colono ipsius lui se recredidit, vel recognouit. Sic ab ipsis viris fuit iudicatum, vt ipse ille ipsum illum pro colono habere debeat. Et si iam dictus Comes ipsum illum per manus, partibus lui visus est reddidisse. His præfentibus.

XXXIII. NOTITIA SACRAMENTALIS.

NOtitia qualiter & quib. præfentibus, veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in basilica sancti illius, vbi plurima sacramenta percurrere videntur, ante vi-

rum magnificentum illum, vel reliquos quamplures bonos homines, qui subterfirmaverunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti illius, sic iuratus dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutem sancti illius, unde me homo ille in malo publico mallabat, quod ego terram suam, aut ad coniugem suam illam, in pago illo, in loco qui dicitur ille, de eorum potestate per fortiam nunquam prisi, aut peruasi, sed de ista parte triginta & vno anno ferè amplius semper exinde fui vestitus, & post me diuisi, & per legem, & iustitiam plus obtineat me habere, quàm ipsi lui, aut coniugi suæ reddere, & quod mihi iudicatum fuit in nullo me debere, nisi istud & vnicum sacramentum, per hunc locum sanctum, & Deum altissimum & virtutes sancti illius. Insequenter

vero post ipsum tres aloariae & XII. conlaudantes iurauerunt, & de linguis eorum legibus dixerunt.

XXXIV. NOTITIA DE HERBIS maleficis.

Notitia qualiter & quibus præsens, veniens foemina aliqua, nomine illa, in pago illo, in mallo publico, in basilica sancti illius, ante illos & illos, & alios quamplures bonos homines, qui subfirmauerunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti illius, sic iurata dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutes sancti illius, vnde me ille ante virum magnificum illum, vel alios bonos homines mallauit, quod ego herbas maleficas temperassem, vel bibere ei dedissem, per quod ipse infirmasset, aut vitam suam perdere debuisset, ego herbas male-

ficas, nec potiones malas nunquam
reperavi, nec bibere dedi, per quod
ipse infirmus, vel insanus fuisset, aut
vitam suam perdere debuisset, &
aliud de ista causa in nullo debeo,
nisi istud vnicum & idoneum sacra-
mentum, per hunc locum sanctum,
& Deum altissimum & virtutes san-
cti illius. Insequenter vero post ip-
sam tantæ iurauerunt, & de linguis
eorum legibus dixerunt.

XXXV. CESSIO.

Dulcissimo atque in omnibus
amantissimo filio meo illi, il-
le. Ammonuit me amor & dulcitu-
do tua, & ex alia parte mihi non ces-
sas deseruire, & in bonum impen-
dis effectum. Propterea mihi præ-
patuit plenissima voluntas, vt ali-
quid de rebus propriis meis, extra
confortium germanorum tuorum,
tibi concedere deberem. Quod ita

& feci : propterea cedo tibi post
meum quoque discessum de hac lu-
ce, à die præsentè, cessumque in per-
petuum esse volo, & de iure meo in
ius & dominationem tuam tran-
scribo atque transfundo : hoc est
seruum iuris mei, nomine illum, vel
aliam rem, terris, &c. Ita vt ab ho-
dierno die habeas, teneas atq; pos-
sideas, vel quicquid à die præsentè
facere volueris, liberam & firmissi-
mam in omnibus habeas potesta-
tem faciendi. Si ego ipse, aut vllus
de heredibus meis, vel quælibet
opposita persona, quæ contra hanc
cessionem venire conauerit, inferat
tibi vna cum socio fisco auri vncias
tantas, & præsens cessio omni tem-
pore firma permaneat, stipulatione
subnixa. Actum.

XXVI. EVACUATORIA.

FRatri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, quia ego ad petitionem tuam solidos tantos ad præstitum beneficium in manu tua tibi præstiti, & tu pro hoc talem epistolam cautionis in me adfirmasti, ut vsque ad annos tantos, in quaque hebdomada diebus tantis opera mea facere deberes, quod ita & fecisti, ad placitum ipsum debitum mihi reddere deberes; quod ita & fecisti, & ego ipsam cautionem minime inuenire possum. Propterea talem epistolam euacuatoriam in te fieri & adfirmare rogavi, ut si ipsa cautio vlllo vnquam tempore inuenta, aut reperta fuerit, nullum obtineat effectum, sed euacuata & inanis permaneat. Et nec ego ipse, nec vllus de heredibus meis, vel quislibet de parte mea ipsum debitum

superius nominatum, nec per ipsam
cautionem, nec nullis modis vllō
vnquam tempore tibi ex hoc nul-
las calumnias, nec repetitiones age-
re, nec repetere non debeamus.
Quod si attentauerimus, ista tota
seruata, vna cum socio fisco, auri
vnciis tātis simus multandi; & præ-
sens euacuatoria omni tempore fir-
ma permaneat.

XXXVII. *LIBELLVS DOTIS.*

DVm omnipotens Dominus
concessit iugale consortium,
vt vnusquisque nubat iuxta cōsue-
tudinem anteriorum Christianorū
& iterum legimus, quod ipse Do-
minus noster cum discipulis suis ad
nuptias inuitatus fuisset, & quos
Deus coniunxit homo non sepa-
ret: Quod bonum felix, faustumq;
sit. Donat itaque ille honestæ puel-
læ sponsæ suæ, nomine illo, quam si

Christo placuerit, in coniugium sociare vxorem cupio, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem ipsius puellæ transcribo atque transfundo, hoc est res proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, tam mansis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum re in exquisita, seu mancipia stantia, his nominibus ille & ille, seu caballos tantos, boues tantos, vaccas cum vitulis tantas, oues, capita tanta tantas, lectarias condignas ad lectos, fabricaturia, aurum, argentum in solidos tantos, utensilia vero tam ærea quàm ferrea, seu & lineæ, quicquid domo rationabiliter cõtinetur, omnia superius nominata, cū dies felicissimus nuptiarū aduenerit, dulcissima sponsa mea illa, à die præsentē habeas, teneas atque possideas, vel quicquid exinde à die præsentē

facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut vllus de heredibus meis, vel quælibet vlla opposita persona, quæ contra hunc libellum dotis venire conauerit, inferat tibi, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsens libellus dotis firmus permaneat.

XXXVIII. INDICVLVS
Regalis.

ILle Rex Francorum vir inlustre. Cum nos in Dei nomine, palatio nostro, ad vniuersorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, vna cum proceribus nostris resideremus, ibique veniens homo aliquis nomine ille, suggestit eo quod apud nostrum signaculum, hominem aliquem, nomine illum, mannitum habuisset, & super noctes
tantas

tantas ante nos debuisset venire in rationes, pro eo quod dixit, quod res suas post se malo ordine tenebat iniuste. Ad quod placitum veniens ipse ille per triduum, seu amplius placitum suum custodiuit; & nec ipse ille ad id placitum venit, nec missum in vicem suam direxit, qui vllam soniam nuntiaret. Proinde nos taliter vna cum fidelibus nostris, vel Comite palatij nostri illo, visi fuimus iudicasse, vt dum ipse ille per triduum, seu amplius placitum suum legitimè custodiuit, & nec ipse ille ad illud placitum venit, nec missum in vice sua direxit, qui vllam soniam nuntiaret, & placitum suum neglexit, & jectius exinde remansit. Propterea iubemus, vt quicquid lex loci vestri de tali causa debuerit, vobis distringentibus, ipse ille partibus ipsius sui hominis componere atq; emendare studeat.

R

XXXIX. *ÆQVALENTIA*
vel pactum.

AVxiliante Domino nostro Iesu Christo, placuit atque conuenit inter illum & germanū suum illum de alode quæ fuit genitoris sui, vt inter se æqualentia diuidere, vel exæquare deberent; quod ita & fecerunt. Accepit ille de parte sua mansum in pago illo, in loco qui dicitur ille, cum omni de super posito, seu vineis, oleis, campis, totum & ad integrum re in exquisita. Ecôtra ad vicem accepit ille de parte sua mansum in pago illo, in loco qui dicitur ille, mansum illum vbi accola commanet, id est tam māsīs, vineis, oleis, totum & ad integrum re in exquisita, etiam aurum, argentum, drapalia, æramen, peculium, præsidium vtriusq; sexus, mobile & immobile inter se æqualentia visi fue-

runt diuifisse: & pars contra parem suum inuicem tradidit, & per eorum fistucam pars contra parem suum se exinde exutos fecerunt. Ita vt ab hodierna die vnusquisque quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

XL. DONATIO AD CA-
sam Dei.

Domino vere sancto, ac reuerentissimo monasterio illi, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ semper virginis, genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, vel ceterorum dominorum suorum, quorum reliquiæ ibi conditæ sunt: & inlustri Deo sacratæ Abatissæ illi, vna cum turba plurima ancillarû Dei, ad laudem Chri-

sto canendam, cui custos præesse videtur, ego in Dei nomine fœmina aliqua, nomine illa, donō ad præfatum monasterium à die præfente, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem ipsius monasterij, vel suis rectoribus, trado atque transfundo ad possidendum, pro eo quod in ipso monasterio sub religione, & sancta cōuersatione habitare debeam, hoc est res meas in pago illo in loco nuncupante sic, & in pago illo, in grafia illa, super fluuium illum, quantumcumque à die præfente in iam dictis locis visa sum tenere, vel possidere, quod manente coniugio apud iugalem meum illum visa sum cōquisisse, vel in meam portionem recepi, vel quantumcumque de filij mei illius luctuosa hereditate mihi obuenit, sicut dixi quantumcumque in his locis à die præfente meæ pos-

sessionis & dominationis est, totum & ad integrum ad ipsum monasterium, à die præsentis de iure meo in ius ipsius monasterij, & suis rectoribus trado, atq; transfundo ad possidendum, hoc est tam terris, mansis, vna cum superpositis, domibus, ædificiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, cultis & incultis, adiacentiisque, hominibus, aquis, aquarumue decursibus, vna cum mancipiis tantis, his nominibus, sicut dixi re inexacta portione meam ad integrum publicè trado atq; transfundo ad possidendum: Vt quicquid ab hac die Abates vel rectores ipsius monasterij ad profectum ipsius exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

R. iij

XLI. *PRECARIA.*

DOmini virtute, atque ostensione crucis patibuli miraculorum remuneratione fulgēti basilicæ, quæ in honore sanctæ Mariæ, & sancti Petri, & sancti Pauli principis Apostolorum, Gaico monasterio constructo in pago Vvastinensi, & inlustri Abatissæ illi, quæ inibi custos præesse videtur, vna cū turba plurima ancillarum Dei ibidem consistentium, ego illa fœmina. Dum non habetur incognitum sed pluribus est manifestum, quod ego res proprietatis meæ, in loco qui dicitur ille, per epistolam donationis ad ipsum monasterium vestrum delegavi. Propterea expetiui à vobis, & petitionem meam non denegasti, vt ipsas res quamdiu adiuuo, sub vsu beneficij vestri tenere, & vsare debeam, & alicubi ipsas res

alienandi pontificium nō habeam,
& post meum quoque discessum,
cum re immeliorata ad ipsum mo-
nasterium, absque vlla expectata
traditione, vos vel rectores ipsius
monasterij in eorum faciant reuo-
care potestatem & dominationem:
vt in postmodum mea possessio ali-
quod præiudicium ex hoc generare
non debeat. Propterea hanc preca-
riam vobis, vel ipsi monasterio ve-
stro emittendam decreui, vt neque
ego, neq; vllus de heredibus meis,
quamuis per longinqua spatia ipsas
res ad vsandum habuerim, agere &
repetere non debeamus. Quod si
quis fecerit, inferat vobis, & parti-
tibus ipsius monasterij suisque re-
ctoribus, auri libram vnā, argenti
pondo duo, & præsens precaria fir-
ma permaneat, & vt aliæ precariæ
de quinquennio in quinquennium
renouantur, istam vero non sit ne-

cesse renouādi, sed per semetipsam,
 omnique tempore obtineat firmi-
 tatem, cum stipulatione subnixa.
 Actum illo.

XLII. *PRÆSTARIA.*

DUlcissimæ fœminæ illi, ego il-
 la Abatissa. Dum non est in-
 cognitum, qualiter tu ante hos dies
 rem proprietatis tuæ, in pago illo, in
 loco qui dicitur ille, ad monasteriū
 sanctæ Mariæ adfirmasti, vnde pre-
 cariam à nobis, vel ab ipso mona-
 stero adpetisti. Propterea has litte-
 ras in te adfirmauimus, vt dum ad-
 uiuis vsualiter ipsam rem tenere, &
 dominare debeas: & alicubi ipsam
 alienandi pontificium non habeas.
 Et si hoc conaueris facere, ipsam ré
 à die præsentē perdas. Et vt has litte-
 ras firmiter obtineas, manu nostra
 subterfirmauimus, cum stipulatio-
 ne subnixa. Actum illo.

XLIII. TRADITORIA DE
terra.

NOtitia qualiter & quib. præ-
sentibus, veniens homo ali-
quis aduocatus sancti illius de mo-
nasterio illo, ad res illas, in pago illo,
in loco cui vocabulum est ille, quas
ante hos dies fœmina aliqua, nomi-
ne illa, per sua instrumenta ad ip-
sum monasterium visa fuit delega-
re cum omni integritate, sicut ex ip-
sa donatione constat, quæ portio
sua est, ad integrum à die præsentē:
missus ipsius fœminæ ille ipsi missio
monasterij, nomine illi per ip-
sum hostium de ipsa casa per terram
vel herbam, sicut lex est, ad partem
sancti illius, visus est tradidisse, &
per suam fistucam ipsum missum,
vel ipsam fœminam de ipsis rebus
se exutos ex omnibus esse dixisse.

XLIV. *EMVNITAS SAN-
ctorum.*

ILle Rex Francorum, vir inluster.
Quotiescumque petitiones sa-
cerdotum aut ancillarum Dei ad ef-
fectum perducimus, regiam con-
suetudinem exercemus, & nobis ad
mercedem, vel ad stabilitatem re-
gni nostri in Dei nomine permane-
re confidimus. Ideoque dominis,
viris sanctis ac venerabilibus Apo-
stolicis in Christo patribus, omni-
bus Episcopis, vel omnibus Abati-
bus, seu inlustribus, atque magnifi-
cis viris, Ducibus, Comitibus, Viga-
riis, Centenariis, seu hominibus vas-
sis nostris, vel omnibus missis no-
stris discurrentibus. Cognoscatis
quod inlustris Abatissa illa de mo-
nasterio illo, in pago illo, in loco
qui dicitur ille, in honore sancti il-
lius constructo, vna cum monachis,

vel Dei ancillis, quæ ad laudē Christo canendam sub religionis norma conuersari videntur, clementiæ regni nostri suggestionem intulit, eo quod gloriosus dominus & genitor noster ille quondam Rex, per suam præceptionem sua manu roboratam talem emunitatem, ad ipsam casam Dei, seu monasterium illud, vel ipsam Abatissam habuisset concessum atque indultum: Vt nullus Episcopus, aut Archidiaconus, eo loci nisi orationis, aut prædicationis lucrandæ gratia accedat, & vt nullus iudex publicus, vel quislibet iudiciaria potestate accinctus, in curtib. vel villis ipsius monasterij, nullū debuisset habere introitū, nec ad causas audiendas, nec freda exigenda, nec ad fideiussores tollendos, nec mansiones, aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, & quod fiscus noster

exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur. Vnde & confirmationes anteriorum Regum parentumq; nostrorum nobis in presenti protulit relegendas, & petit celsitudinem nostram, vt circa ipsum monasterium, nostra hoc deberet auctoritas generaliter confirmare. Cui nos hoc beneficium grantanti animo pro mercedis nostræ augmento non solum confirmasse, sed etiam in nouo sub emunitatis nomine cōcessisse. Denuo per hoc præceptum, specialius decernimus ordinandum, atque omnino iubemus, quod in perpetuum absque vllis obstaculis, & refragationibus volumus esse mansurum, præcipientes, vt sicut constat in supradictis titulis scriptum esse, vt illud monasterium maneat absque vllō introitu Episcopi, aut archidiaconi nisi orationem, aut prædicationem lucran-

do, & vt nullus iudex publicus in
curtes, vel villas ipsius monasterij
nullum debeat habere introitum;
nec ad causas audiendas, nec freda
exigenda, nec fideiussores tollēdos,
nec mansiones vel paratas, nec vllas
retributiones exactandas, & quod
fiscus noster exinde exhibere pote-
rat, nullatenus ex hac re requiratur,
nisi vt diximus pro mercedis nostræ
augmento, sicut ab antecessoribus
Regibus parentibus nostris, seu &
dōno & glorioso genitore nostro
illo quondam Rege, moderno
tempore fuit concessum atque in-
dultum, ita per nostra oracula ple-
nius confirmamus, quod in perpe-
tuum volumus esse mansurum. Et
vt hæc præceptio firmior habeatur,
& per tempora melius conseruetur,
manu nostra signaculis subter de-
creuimus roborare, & de anulo no-
stro subter sigillauimus.

XLV. INDICVLVS RE-
galis.

K Arolus Dei gratia Rex Fran-
corum, tam præsentib. quam
futuris, domnis sanctis & Apосто-
licis, ac venerabilibus in Christo
fratribus: Ducibus, Comitibus, Do-
mesticis, Vicariis, Centenariis, vel
omnibus agentibus nostris, & iu-
nioribus & successoribus nostris,
vel omnibus amicis nostris, seu &
hominibus, & missis nostris discur-
rentibus. Cognoscat magnitudo,
seu almitas vestra, quod nos isti fi-
deli nostro merito suo compellente
concessimus, vbicumque infra re-
gnum Deo propitio nostrum, ho-
mines sui ad negotium exigendum
aduenerint, nullus quislibet de iu-
diciaria potestate vestra, nec missus
noster nulla telonea, nec nullas vé-
ditas, nec rodaticū, nec foraticum,

nec pontaticum, & sicut dixi nullus
quælibet telonea, nec venditas eius,
in nullo exactare non præsumatis;
sed vt diximus, in quoscumq; por-
tus ciuitatis, seu mercada nullo con-
tradiciente suis venditor, vel com-
mercii quodlibet negotium pote-
statem habeat vendendi, quia nos
taliter ei habemus concessum. In
reliquo vero de parte nostra, vel ve-
stra, ex nostra indulgentia visi fui-
mus concessisse, atque indulgisse,
seu & in omnibus confirmasse. Et
vt hæc præceptio nostra firmior ap-
pareat, & per tempora conseruetur
manu propria subtus eam decreui-
mus adfirmare.

XLVI. RELATVM QVOD
dicitur apennis.

MOs nobilium Romanorum
adsuevit, & ratio iuris depo-
scit, vt si cuiuscumque domus igne

crementur, is per seriem scripturarum chartulam relationis quæ dicitur apennis recipiat. Quamobrem cum quadam die inluster ille Comes, ad multorum causas audiendum, vel recta iudicia terminandum, vna cum pluribus personis residerent: Ibiq̃ue veniens homo aliquis nomine ille suggestit & intulit, eo quod ante hos dies, casu faciente, casa sua, cum omni mobili, vel intra domum compendio, seu & instrumentis chartarum, ibidem igne cremata essent. Et quia ille iudex vel vicini pagenses ipsius ad præsens ita dixerunt, & testimoniauerunt, quod ad hoc videndum accesserant, sic vero & actum aderat: Sic supradictus ille Comes vel reliqui Franci, chartulam relationis quæ dicitur ei dare decreuerunt, vt quicquid ex cessione parentum, aut ex contractu habebat, tam per venditiones, dona-

donationes, cessiones, iudicia, obnoxiationes, commutationes, seu quod per ceteras scripturas ad eum peruenit, deinceps permaneat in suo iure & dominatione absque re-fragatione.

XLVI. HEREDITORIA.

DUlcissimæ filiaæ meæ illi, ille. Dum non est incognitum, sed per populum deuulgatum, & patefactū, quod ego in ancilla mea nomine illa te generavi, & postea ante domnum illum Regem, iactāte denario, secundum legem Salicam te ingenuam dimisi, & tu minime in hereditate mea sociari poteras. Propterea ego hanc chartulam hereditariam in te fieri, & adfirmare rogavi, ut si Dominus iusserit, quod mihi in hoc sæculo superstes appareas, de omnibus reb. meis, tā quod ex alore paretum, quam ex

S

meo contractu mihi obuenit, in hereditate succedas, tam terris, man-
fis, domibus, ædificiis, mancipiis,
accolabus, vineis, syluis, campis, pra-
tis, pascuis, aquis aquarumue decur-
sibus, in quibuscumque pagis, aut
territoriis, seu agris vel omnibus lo-
cis, vbi habere videor: etiam pecu-
lium, præsidium vtriusque generis
& sexus, aurum, argentum, drapalia,
mobile & immobile, quicquid dici
aut nominari potest quantumcum-
que moriens de meo dereliquero,
in omnium rerum mearum here-
ditate apud germanos tuos, filios
meos succedas, & æqualentia inter
vos exinde diuidere, vel exæquare
faciatis: & quod ad partem tuam
exinde recipis, quicquid exinde fa-
cere volueris, liberam & firmissi-
mam in omnibus habeas potesta-
tem faciendi. Si quis vero, &c.

XLVIII. R E D E M P T I O N A L E.

Dilectissimo mihi, bene merito
illi, ille. Omnibus non habe-
tur incognitum, sed patefactum,
quod tu quotidie in bonis partibus
fideliter mihi deseruire non cessas,
& pro respectu vel seruitio tuo, &
pro fidelitate tua, quam circa partes
meas impendere non desistis, mihi
præparauit plenissima & integra vo-
luntas, propter nomen Domini, vt
de seruitio tuo temetipsum, vel om-
ne peculiare tuum redimere debe-
res. Quod ita & fecisti: & dedisti mi-
hi pro hoc pretium, quod mihi be-
ne complacuit, tam in argento, quã
in amictio valente solidos tantos.
Propterea hanc chartulam redem-
ptionalem in te fieri, & adfirmare
rogavi, vt taliter sis ingenuus, tan-
quam si ab ingenuis parentib. fuif-
ses procreatus vel natus, cum omni

peculiari tuo, & nec mihi, nec vlli heredum meorum nullum impendas seruitium, nec hominiũ, nec libertaticum, nec vllum obsequium, nec patronaticum: sed eas, pergas partem quam volueris, liberamque & firmissimam in omnibus habeas potestatem: & neque seruitij, nec libertatici, aut vllius obsequij nomine, nec ego ipse, nec vllus de heredibus meis, nec quælibet oposita persona, tibi exinde nullas calumnias, nec fatigationes, nec repetitiones agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui tentauerit, & à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus tibi vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsens redemptionale omni tempore firmum permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XLIX. HEREDITORIA.

DUlcissimæ atque in omnibus
amâtissimæ filiæ meæ illi, ego
vir magnificus ille. Omnibus non
habetur incognitum, quod sicut
lex Salica continet, de rebus meis,
de eo quod mihi ex alode parétum
meorum obuenit, apud germanos
tuos, filios meos minimè in heredi-
tate succedere poteras. Propterea
mihi præpatuit plenissima & inte-
gra voluntas, vt hanc epistolam he-
reditoriam in te fieri, & adfirmare
rogarem, vt si mihi in hoc sæculo
superstes apparueris, in omnes res
meas, tam quod ex alode parentum
meorum, quam ex meo contractu
mihi obuenit, in pago illo, in loco
qui dicitur ille, & in quibuscumque
pagis, aut territoriis, vbicumq; ha-
bere videor, tam mansis, domibus,
ædificiis, vineis, oleis, syluis, campis,

S iij

pascuis, aquis, aquarumue decursibus, quicquid dici aut nominari potest, quantumcumque de meo proprio moriens dereliquero, in omnium rerum mearum hereditate apud germanos tuos, filios meos succedas, & æqualentia inter vos exinde diuidere, vel exæquare faciat. Et quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere uoueris, liberam & firmissimam in omnib. habeas potestatem faciendi. Si quis uero, &c.

L. CAVTIO DE VINEA.

Domino fratri illi, ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi ut in summa necessitate mea argentum, vel amictum ualentem solidos tantos in manu mea ad præstitum beneficium mihi præstitisti: Propterea oppignero tibi vineam proprietatis meæ in pago

illo, in loco qui dicitur ille, quæ continet aripennos tantos, subiungit de ambobus lateribus, & ambobus frontibus terræ lui, infra ipsam terminationem, & mensuram ad integrum, & vsque ad annos tantos fructum, quem ibidem Deus dederit, ad partem tuam habere debeas, & ipsam vineam condirigere facias: & quomodo cum ipsis fructibus tantos annos transactos habueris, & debitum tuum tibi reddidero, cautionem meam per manus recipiam, stipulatione subnixa. Actum illo.

LI. *SECVRITAS.*

NON minima, sed maxima vertitur discordia inter illum, & illum. Venientes in loco illo, ante bonos homines, repetebat ipse ille in causa sua, vel coniugis suæ illius, aduersus ipsum lui, dum diceret, eo quod ipse genua sua impin-

xerit, & super filiam eorum, nomine illam cessisset, & ipsam ibidem occidit, sed ipse ille hanc causam minime potuit denegare. Exinde ralmente ab ipsis bonis hominibus fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, ipsi lui soluere deberet: quod ita in præfenti fecit, & seruum suum nomine illum, vel aliam raptam ipse ille pro illa leude, ipsi lui, vel coniugi suæ illi, in quod eis bene complacuit, dedit. Propterea iam dictus ille, & coniux sua illa hanc securitatem in ipso illo fieri, & adfirmare rogauerunt, vt nullo vnquam tempore de iam dicta causa, nec de illa morte, nec de ipsa leude, nullas calumnias, nec repetitiones, nec fatigationes, nec nos, nec vllus de heredibus nostris, nec quælibet opposita persona agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui attentauerit, & à nobis

vel heredibus nostris defensatum non fuerit, inferamus tibi vna cum socio fisco auri vncias tantas, argenti pondo tan. & praesens securitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

LII. DONATIO AD FILIOS.

L Ex & consuetudo exposcit, vt quaecumque persona naturales filios habuerit, & alios plures non habuerit, si eos in sua voluerit instituere hereditate, qualiter voluerit, & suo penitus arbitrio faciendi hoc quod voluerit, liberam habeat potestatem. Ideoque ego ille, dum non est incognitum, vt foeminam aliquam bene ingenuam ad coniugium sociaui vxorem, sed talis causa, vel tempora me oppresserunt, vt chartulam libelli dotis ad eam, sicut lex declarat, minime concessit facere, vnde ipsi filij mei secundum legem

naturales appellantur, & filios in ea
generaui, quibus baptismo no-
men imposuimus illos & illas. Pro-
pterea volo, vt prædicti filij mei
omne corpus facultatis meæ, in pa-
go illo, in locis denominatis illis, in
legitimam successionem debeat
adire & adprehendere, hoc est tam
mansis, &c. vna cum superpositis
domibus, ædificiis, vtriusque gene-
ris & sexus peculiis, mancipiis ibi-
dem commanentibus, tam ibidem,
quam & aliunde translatis, sicut di-
xi, quod nostra est possessio, &
quod successione parentum nobis
obuenit, tam de alode, quam de cõ-
parato vel de quolibet adtractu ad
nos noscitur peruenisse, & à die
præsente nostra est possessio, vel do-
minatio, cum omni iure & merito,
omni re in exquisita quam quidem
moriens dereliquero in vestram de-
beatis reuocare potestatem, & do-

minationem: & faciatis exinde iure proprietario quod volueritis, nullusque vos de omni hereditate mea repudiare non debeat, nec facere possit, stipulatione subnixa.

LIII. MANDATVM.

DUlcissimo amico meo illi, ego ille. Rogo atq; iniungo charitati tuæ, vt eas ad vicem meam ad ciuitatem illam, ad illum defenso-rem, & illum professorem, vel curiam publicam ipsius ciuitatis, & hanc epistolam, quam ego in filios meos illos, vt totius hereditatis mee legitimæ successioni adhæreant, & legitimi filij mei sint, sicut in ipsius epistolæ textu continetur, conscribere ea gestis municipalibus, vt mos & lex est, alligare, atq; firmare facias; ad prosecutionem celebratâ, quod te rogo mihi rescribere pigrè non graueris.

IN nomine Domini, Anno illo
domini nostri illius Regis, men-
se illo, gesta habita apud laudabi-
lem virum illum defensorem, & il-
lum professorem, vel curiam publi-
cam illius ciuitatis, ille ait. Quæso
vos optime defensor, vt mihi codi-
ces publicos patere iubeatis, quia
habeo quædam prosequi, & quæ
gestorum alligatione cupio robo-
rari. Memorati defensor & ordo cu-
riæ dixerunt: Patent tibi codices
publici, prosequere quæ optas, ille
dixit, Amicus meus ille mihi iniun-
xit per suum mandatum sollenniter
roboratum, ad laudabilitatem ve-
stram accedere debere, & hanc epi-
stolam, quam ipse, sicut lex decla-
rat, in prædictos filios suos, pro eo
quod in bene ingenua fœmina illa
ipso generauit, & tamē chartulam

libelli dotis ei secundum legem nō
adfirmavit, propterea iam dicti filij
secundum legem naturales appel-
lantur, ita antedicto patri eorum
complacuit, vt ipsos secundum le-
gem Romanam, in ipsa ciuitate, an-
te curiam publicam, debeat in legi-
tima totius hereditatis suæ institue-
re hereditate, ita & fecit, dum in-
prolis fuerit, nec legitimos infan-
tes habuerit, ipse in legitimam he-
reditatem, vt legitimos filios, eos in
omnes causas recepit; vt prædicta
epistola iuxta morem & consuetu-
dinem gestis municipalibus alliga-
ri, atque firmari debeat: supra scri-
ptus defensor, vna cum suis curiali-
bus instituerūt, & signaculis subter-
firmauerunt. Et hæc gesta quomo-
do fuerunt conscripta, manu eo-
rum roborata, ei visi sunt tradidisse;
stipulatione subnixa. Actum.

LV. EPISTOLA.

Magnifico amico meo illi, ego Mille. Cognoscas iuxta iniunctionem tuam, vt per tuum mandatum, rogasti, me ad illam ciuitatem, ad illum defensorem vel curiam publicam ipsius ciuitatis accessisse, & hanc chartulam, qua infantēs tuos, quod naturales essent, in legitimam hereditatem secundū legem instituisti, sicut in ipsa continetur, gestis municipalibus, iuxta morem & consuetudinem alligasse atque firmasse cognoscas, & persecutione celebrata, quod me rogasti, rescribere vel prosequi pigrum non fuit.

LVI. GESTA MANVMISSIONIS.

Quod secundum legem Romanam actum est nullatenus reuocetur. Itaque sub die illo,

anno illo regni domini nostri illius Regis, in dictione illa, ille vir venerabilis ille diaconus testatur eis qui tabulis subscriptis manumittere in Ecclesia illa, vindictaque liberare famulum illum suum bene sibi meritum cupiunt, secundum constitutionem bonæ memoriæ Constantini faciant, legisque qua dicitur, ut omnes qui sub oculis Episcoporum, presbyterorum, seu diaconorum in Ecclesia manumittuntur, ad ciuitatem pertinere Romanam, & ab Ecclesia defensatur. * *Desunt hic quedam videlicet quæ ad gesta manumissionis pertinent, ea tamen conditione, ut eat ubique, quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, vel procreatus, & nulli heredum ac proheredum eorum minimè quicquam debeat seruitutis, nec libertinitatis gratia, nec patronatus obsequij, sed*

sicut dixi, sub integra & legitima ingenuitate debeat permanere ingenus atq; securus, & semper ad ciuitatē pertineat Romanam: Testamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat potestatem.

LVII. *TRADITORIA.*

Notitia traditionalis, qualiter & quibus præsentibus venit homo aliquis nomine ille, ad illum mansum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium suum adfirmavit, per herbam & terram visus fuit tradidisse, vel consignasse, & exitum inde fecisse. His præsentibus.

LVIII. *OBNOXIATIO.*

Domino meo semper, ego enim ille. Dum non est incognitum, qualiter instigante parte aduersa, mihi contigit, quod ego
caballum

caballum ad hominem aliquem
 nomine illum subduxi, vnde & pro
 furto victus apparui, & vitæ pericu-
 lum exinde incurrere potueram, &
 ego non habeo vnde ipsum faci-
 nus, vel furtum emendare, vel satis-
 facere debeam, propterea expetij
 vos, & habuit pietas & dignatio ve-
 stra, &c. *plura in MS. non erant.*

T

SVPERIORVM FORMVLA-
RVM CAPITVLA.

- | | |
|---|-------------------------------------|
| I. Notitia de colono euindicato. | XXVIII. Prestaria. |
| II. Charta sacramentalis. | XXIX. Notitia de homine forbatado. |
| III. Notitia de seruo. | XXX. Indiculus Regalis. |
| IV. Iudicium euindicatum de colono. | XXXI. Item alius indiculus. |
| V. Notitia de colona euindicata. | XXXII. Notitia de colonitio. |
| VI. Notitia de seruo quem colonus comparat. | XXXIII. Notitia sacramentalis. |
| VII. Notitia de terra euindicata. | XXXIV. Notitia de herbis maleficis. |
| VIII. Ingenuitas. | XXXV. Cessio. |
| IX. Mandatum. | XXXVI. Euacuatoria. |
| X. Tracturia pro itinere peragendo. | XXXVII. Libellus dotis. |
| XI. Cessio ad Ecclesiam à nouo edificatam. | XXXVIII. Indiculus Regalis. |
| XII. Littera commendatitia seu Formata. | XXXIX. Æqualentia vel pactum. |
| XIII. Ingenuitas. | XL. Donatio ad casam Dei. |
| XIV. Venditio. | XLI. Precaria. |
| XV. Cautio. | XLII. Prestaria. |
| XVI. Obnoxiatio. | XLIII. Traditoria de terra. |
| XVII. Commutatio de terris. | XLIV. Emunitas sanctorum. |
| XVIII. Charta agnationis. | XLV. Indiculus Regalis. |
| XIX. Traditoria de terra. | XLVI. Relatum quod. |
| XX. Traditoria de manso, vel vinea. | XLVII. Hereditoria. |
| XXI. Notitia de seruo. | XLVIII. Redemptionale. |
| XXII. Notitia de iactiuis. | XLIX. Hereditoria. |
| XXIII. Securitas. | L. Cautio de vinea. |
| XXIV. Charta denarialis. | LI. Securitas. |
| XXV. Mandatum. | LII. Donatio ad filios. |
| XXVI. Cessio ad Ecclesiam. | LIII. Mandatum. |
| XXVII. Precaria. | LIV. Gesta. |
| | LV. Epistola. |
| | LVI. Gesta manumissionis. |
| | LVII. Traditoria. |
| | LVIII. Obnoxiatio. |